IN FORMVLAS
IVRIDICAS NONNVLLAS
VETERVM SEPVLCRORVM
COMMENTARIVM X
RAYMVNDI GVARINII.

NEAPOLI
TYPIS SOCIETATIS PHILOMATHICAE.
1828.

Crede mihi: vires aliquas natura sepulcris
Attribuit. Senec. in Epigr. a.

ALOYSIO RVFFO
PATRICIO. NEAP.
S. ROM. ECCL. PRESBYTERO. CARD.
ET. ECCL. NEAPOL.
ARCHIEP. RAYM. GVARINIVS. S.

Quod me iamdudum, Princeps Eminentissime, peramanter complecteris, fere ut Parentes filios suos; quod nugas meas esse aliquid, putare soles; quod Pastoralia inter munera gravissima, quibus impigre defungeris, TE musarum cultorem assiduum probas: haec demum una omnia me impulerunt, ut glossemata haec qualiacunque in rem veterum sepulcralem Tibi nuncuparem. Si quis nunc,

hac data occasione, quam plerique anxie aucupantur, illud expectet, ut in laudes tuas effundar; is profecto aut animi tui modestiam ignoret, necesse est, aut ingenii mei indolem fuci omnis penitus expertem. Valeas ergo, et vivas Nestoris annos.

Neap. VII. Idus Sextiles MDCCCXXVIII.

§. I.

Quaedam de sepulcris in genere, et quid iuris, iure romano potissimum, in sua cuique sepulcra attributum.

Si quando, uti usuvenire solet, de veterum monumentis literatis incidit sermo, nihil persuasum magis eruditulorum vulgo deprehendi, quam ut ea, quae in re sepulcrali versantur, ut numero, prae caeteris, frequentiora obviant, ita et planiora credantur, quaeque minus lectori negotii facessant. Quod utique verum fateri oportet de illorum plerisque, in quibus, parte historica semota, aut sententiola aliqua ad morum institutionem, aut animi relaxationem concinnata, haud raro et sigla una, alterave significationis ambiguae, nihil praeterea est in nuce durius. Verum omnis opinionis huiusmodi falsitas tunc primum in oculos incurrit, cum in iisdem aut religionis auctoritatem perpenderis, unde illorum origo omnis, ac pro-

cessus; aut Legum humanarum sanctitatem, in quarum tutela cum omnia in universum, tum quaedam, iure peculiari, sunt posita. Neque ulla porro in re dominii sui, magis per leges humanas dominis adblanditum, quam suae cuiusque in sepulcrum suum voluntati. *Fori, bustive aeterna auctoritas esto.* Ita nempe ex XII. Tabular. praescripto. *Auctoritatem aeternam* intelligito *ius immutabile*; *Forum* hic Tullius (1) interpretatur *vestibulum sepulcri. Bustum* autem *scrobs* erat, in qua cadaver una et cremabatur, et humabatur: in quo vero cremabatur tantum, non humabatur, hoc *scrobs erat*, seu *ustrinum*; unde *bustum* quodvis et *ustrinum* erat; *ustrinum* sine *busto* esse poterat.

Ut autem, ad rem sepulcralem quod attinet, de religionis fontibus hauriamus nonnihil; ecquis gentium universarum a primaevo mundi conditu ad haec usque tempora, in sepulcris et extruendis studium, et in tuendis sollicitudinem, et in colendis religionem, ab institutione, non a natura, profecta, contenderit? quis indidem arcesserit terrorem illum omnium

---

(1) Lib. II. de Leg.

animis insitum, ut sibi extra sepulturam esse aliquando contingeret, quo nihil foedius, tristiusque occurrere menti consuevit? Immortales sine dubio christianae religioni gratiae habendae, cuius beneficio terror hic, non erasus ille quidem, sed valde tamen imminutus, in futurae olim της αναςασεος spem, expectationemque. Verum ecquid de iis, qui spem non habent, queis non affulsit illuminatio vultus Christi per Evangelium? Sepulcrorum interim consuetudinem religionemque tam late diffusam, ut nulla cieri gens possit, quae illorum umquam expers fuerit, institutionis, non naturae esse, dicere; non minus absurdum videri debet, quam si quis, quod videt oculis, naribus olfacit, auribus audit, tangit manibus, aut palato sapit, id non ad naturam, sed ad institutionem meram referret. *Opinionum commenta*, ut recte ille ait, *delet dies; naturae iudicia confirmat.*

Quo semel constituto principio, licet sciscitari ulterius, ut quae inde fluunt consectaria, vel inviti nolentesque pervideant. Dicant hi, eccur qui corporum sepeliendorum curam, etsi aliena illa sint, tam anxie suscipiunt, non ipsi sibi sanguinem curant asservandum;

quem emitti contingit interdum, aut etiam pilos, quos de capite, barbave sinunt attonderi? Foedum, fortasse inquies, ab hominumque cultura abhorrens, cadavera insepulta canibus, avibusque discerpenda relinquere. Vni igitur homines culti sepulcris et extruendis, et custodientis vacassent, ego iure reponam: gentes efferatae, barbaraeque penitus neglexissent, quibus tamen nihil carius, sollemniusque suis, suorumque monumentis. Quanto rectius, naturaeque consentanee magis dixeris, negligere nos et sanguinem emissum, et pilos attonsos, et huiusmodi alia, quod haec semel a nobis decisa, nihil amplius ad nos pertinebunt! Aliquando ergo ad nos, aliosve corpora, quae omnes sepelienda curamus, serioque curamus. Est igitur aliquid in homine, idque a corpore secretum, quod, quia corpori superstes est, cum eoque aliquando denuo conglutinandum, illius idcirco, etsi demortui, curam, natura instigante, atque impellente, gerit. Theologum, ais, iam nunc profiteris; idque tibi assentiar. Intempestive, addis: id vero nego, pernego. Sunt enim humana quaevis propter divina, non e' converso; quique ex humanis ad divina num-

quam adsurgunt, illorum similes aio, qui assueti stabulo de aula ne cogitare quidem audent.

Sit itaque a natura religioni adiuncta ius omne, et consuetudo sepulcrorum, unde haec omnia profecta sanciuntur, et roborantur. Naturam porro, religionemque consequitur, non antevertit societas, in qua constituta ubique sepulcra videmus. Quod dico idcirco, ut iam nunc, data occasione, praeiudicium illud radicitus convellam, quod nuper apud iuris tractatores invaluit: societati nimirum religionem insertam, non religioni additam societatem. Quo nihil dici falsius, perniciosiusque poterat. Unicus namque initio conditus a Deo homo fuit sine comite ullo, sed non sine religionis consortio, beneficioque, eiusque non naturalis dumtaxat, sed theologicae quoque, ut est apud Theologos firmissime constitutum. Homini deinde sic religione informato accessit mulier, in quo utroque prima societatis omnis humanae iacta sunt fundamenta Societas igitur religioni inserta est, qua sine nulla extitit unquam, aut extare societas potest, non societati religio, quod isti volunt. Juris nunc romani placita praecipua, quod nostra interest, in rem sepulcralem prosequar, de qui-

bus adeundus Gutherius in aureo opere *de Jure Manium.*

Jure romano, nullum, nisi *consecratum*, veri nominis habebatur sepulcrum, quo uno, *consecratione* videlicet, sepulcrum a Monumento, aut etiam Cenotaphio, in immensum abit. Haec duo posteriora *pura* habebantur, idest nullo attinebantur religionis vinculo, quo minus vendi possent, donari, aliove titulo quovis abalienari, vel in alium usum transferri. Τον καϑαρον ταφον, καί τον κενοταφιον ἔξεστι πιπρασκειν, καί δωρισται. Ταφος γαρ κυριως ὀυκ' εστιν (1). *Monumentum, purum, et cenotaphium vendere, fas est, ac donare. Monumentum siquidem adhuc sine auctoritate est*, religionis intellige. At stricti iuris *Sepulcrum*, quod Pandectis Florentinis est *monumentum functum*, *religiosum* est, quique illud quo quo modo violasset, in laesae religionis crimen incidebat. Monumentum porro in sepulcrum evadebat consecratione, cadaveris puta illatione, eaque non *precaria*, sed *perpetua*, idest nunquam deturbanda..

At enim titulos incurrimus, quibus vel *monumenta* ipsa *alienari* vetantur. Verum id, nisi

---

(1) Basilic. περι μνεμειων. δ.

fallor, ad tutelam *iuris civilis* est referendum, non *Pontificii*, quod nullum in *monumenta pura* extabat. Eccur enim in his tutelam ius civile refugeret, praesertim cum rem sepulcralem attingant? *Uti quisque legassit rei suae, ita ius esto*, ut in XII. Tab. Nisi verius dicere velis, in his plerumque monumentum accipi pro *sepulcro*, seu *monumento functo*, quod etiam *Locum*, *Memoriam*, *Arcam*, *Armarium*, *Requietorium*, *Conditorium*, *Domum*, *Sedem*, *Agrum somni*, *Epitaphium*, aliudve simile, etsi minus proprie, appellitare consueverunt. Strictim tamen *Monumentum*, et *Memoria* aliud a *Sepulcro est*. Sepulcrum nonnisi unum est: memoriae monumentaque plura essse possunt. Adposite Tullius in Orat. pro Milon. *Milonis vos amici* MONVMENTA *retinebitis*; *corporis in Italia nullum esse* SEPVLCRVM *patiemini?* Particula igitur *seu* in his non adversativa est, ut Priscianus loquitur, sed ἐξηγητικῶς accipienda, quasi diceret: quo nomine uti placeat, hoc utere quocunque. Quae sententiae eiusdem sive expositiones, sive reduplicationes, aut conversiones, haud equidem otiosae in iure censendae, utpote quibus propositum est, dolum omnem malum, fal-

laciamque praecavere. Nam ut ne a proposito discedamus, quis sibi in animum induxerit, Gruteri formulam illam plane singularem: *H. M. Hered. Extran. non sequitur. nec Her. Monumentum*, differre a simplici hac M. H. E. N. S.? Addita tamen sententiae eiusdem conversio testatoris voluntatem et gravius inculeat, et sanctius commendat.

Quaesitum in iure est, cadaveris eiusdem parte una in loco uno sita, alio alia, aliisve, utrum unicum, aut plura habenda sepulcra? Cuius quaestionis universae iugulum sic Paulus petit: *Cum in diversis locis sepultura est, uterque quidem locus* RELIGIOSVS *non fit, quia una sepultura plura sepulcra efficere non potest. Mihi autem videtur, illum* RELIGIOSVM *esse, ubi quod est principale, conditum est, idest* CAPVT, *unde qualis cuique* IMAGO *sit, cognoscitur* (1). *Imaginem* hic dicit Iurisconsultus, qui Ciceroni VVLTVS est, hominis proprius, ad belluarum discrimen.

Sepulcri *partes* a sepulcrorum *adnexis* sedulo distinguendae: *Partes* enim eadem *sepulcri*

(1) Leg. 44. Dig. Lib. XI. tit. VII

religione tenebantur; *adnexa* interdum, non semper. Sepulcri partes habebantur *sarcophagi*, *cineraria*, *ossuaria*, *arae*, *statuae*, *signa*, aliaque horum similia. Ad haec: monumentorum dimensiones ipsae, quarum designandarum causa vulgatissimae formulae illae: *In agro*, *in fronte*. *In longum*, seu *longitiem*, *in latum*, vel *latitiem*. *Parte antica*, vel *anteriori*, *postica*, vel *posteriori*, vel *ante*, et *retro*. *Quoquo versus*, vel *pedes quadratos* tot. Sepulcrorum *adnexa*, aut *adiacentia* vocabantur, quae iisdem casu mero adiungebantur, ut *Agri* iuxta positi, *Aedes*, *Tabernae*, *Horti*, *Cenacula*, *Maceria*, *Diaetae*, aliaque id genus, quae manebant *pura*, nec *religiosa* habebantur, nisi testatoris *designatione*, quae quo sensu accipienda sit, loco suo contra Gutherium dicetur. Quae tamen, si *custodiae causa sepulcro cederent*, religiosa censebantur, parique sepulcri poena obligabantur.

Ius paene infinitum cuique in sepulcrum suum, iure romano, attributum. Cuius rei placet exemplum unum singulare afferre ex veteri Fragmento a Gutherio relato; quo Monumento vetatur cuivis, sive Filius ille sit, sive Nepos,

aut Affinis, ad ipsum accedere, defunctique ossa vexare infringendo, vel aperiendo. Vixque demum Neviae Priscae Uxori, si modo vidua ad diem usque finitionis suae permanserit, permittitur, ut eodem recipiatur iuxta maritum suum. Si secus factum, qui fecerit, inferet Reipublicae Aerario, *poenae nomine*, folles mille. *Follis* Gutherio videtur *sacculus*, sive Plautinus ille *vidulus*, in quo nummi solent asservari. Longe probabilius *follis* erat *monetae* species, quae quanti aestimanda, quis nunc praestare certo audeat? Fragmentum, quod ad nos facit, est huiusmodi:

IN QVEM. INDVXI. SARCOPHAGVM
IN. QVEM. DVM. RECEPTVM. FVE
RIT. CORPVS. MEVM. NVLLI. VN
QVAM. LICEAT. ACCEDERE. NEQVE
VEXARE. OSSA. MEA. NON FILIVS
NEQVE. NEPOTES. NEQVE. DE
AFFINITATE. VLLVS. SI
QVIS. AVTEM INFRINGERE
VEL. APERIRE. AVSVS. FVERIT. IS
TVM. INFERET. POENAE. NOMINE
REIP. FOLLES. MILLE. SANE. NE
VIA. PRISCA. SI. PERMANSERIT
VSQVE. IN. DIEM. FINITIONIS. SVAE
RECIPIATVR. IBI. IVXTA. MARITVM
SVVM. . . . (1).

Opportune de *multa* iniecta mentio, cuius infligendae potestatem negant Dominis in Sepulcrorum violatores extraneos viri magni nominis Cuiacius, et Mazocchius: quaeque tales occurrunt, pro Legatis interpretantur *poenae nomine*, ut aiunt, quae heredes, legatariosve, non item alios afficerent. Poenas easdem pro comminatione mera severitatis non defuturae, si iudices de

(1) Grut. pag. 810. n. 10.

his cognoverint, exponit Gutherius (1). Atqui hoc in casu Judicum arbitrio poenae hae relinquendae fuerant, quae tamen certae, determinataeque occurrunt pro testatorum voluntate. Unde praeterea ius istud Judicum in poenas exigendas, testatorum arbitrio, in extraneos sepulcrorum violatores? at si nullum his in violatores extraneos, ut hi contendunt, ius erat; multo minus in iudices esse poterat, qui ad eas cogerent violatores mera testatoris voluntate. Utrisque igitur ius lege datum: et testatoribus, ut poenas iniungerent, et iudicibus, ut easdem exigerent. Et profecto nisi lege datum, aut permissum ius istud testatoribus fuerat, annon se deridiculos praebuissent, qui poenas eiusmodi tam saepe, et serio, et accurate definitas sepulcris suis praefixissent? At at multae hae, ut collatis undique exemplis luculentissime evicit Marinius, non unos afficiebant Heredes, Legatariosve, sed Emptores quoque, aut Donatarios, aut alios demum extraneos quoscunque, qui quo quo modo monumenta violassent. Hoc unum ampliandum censeo. *Multas*, de quibus instituta quaestio est, quatenus ex notis hacte-

(1) Pag. 454.

nus titulis colligere datum, omnes aut in *Civitatis*, seu *Reipublicae*, vel *Arcae Saturni*, *Fiscive*, vel *Pontificum*, aut *Virginum Vestalium*, vel *Coloniae*, vel *Collegii* alicuius legitimi cedere emolumentum. Ex quo coniecturae locus, in horum dumtaxat utilitatem gratiamque, non aliorum, hanc lege, vel consuetudine factam testatoribus potestatem, qua et religionis causae, et publicis commodis una consuleretur.

§. II.

Sepulcrorum divisiones.

Sepulcrorum divisiones, subdivisionesque fere sine numero vagantur, collectorum arbitrio, ingenioque institutae, atque elaboratae, quae utrum omnes ad iustam formam artis, viderint ii, qui id sibi licere putant. Atqui ego haec universa primum triplicis generis facio, *Publica* nimirum, *Privata*, et *Communia*. Deinde postrema haec subdivido in *Corporata*, *Familiaria*, et *Hereditaria*, nec quid, aut quo ultra progrediendum, video.

1. *Publica* voco, quae multis promiscue pa-

tent, nulla conditionis praerogativa, aut infamis dumtaxat, insignia. Talis Esquiliarum olim locus Romae plebeculae sepulturae destinatus de quo Horatius (1):

miserae plebi commune Sepulcrum,

monumentumque illud (2) a Synagoga imperatum in usum peregrinorum, de proditoris reddita pecunia excitandum. Insigne in genere hoc Municipii Sassinatis monumentum a Baebio Gemello positum iis, qui laqueo se suspendissent, aut *quaestum spurcum* professi essent, quod tale extat apud Reinesium (3):

(1) Lib. 1. Sat. 8.
(2) Matth. Cap. XVII.
(3) Clas. VII. n. XX. p. 489.

BAEBIVS. GEMELLVS. SASSINAS. MVNICI
PIBVS. SINGVLIS. INCOLEISQ. LOCA SEPVL
TVRAE. C. S. P. DAT. EXTRA. AVTORITATEIS. ET QVEI
SIBI. LAQVEO. MANVS. ATTVLISSENT. ET. QVEI. QVAES
STVM. SPVRCVM. PROFESSI. ESSENT. SINGVLIS. IN
FRONTE. P. X. IN. AGRVM P. X. INTER. PONTEM
SAPIS. ET. TITVLVM. SVPERIOREM. QVEI. EST
IN. FINE. FVNDI. FANGONIANI. IN QVEIBVS
LOCIS . NEMO. HVMATVS. ERIT. QVEI. VOLET
SIBI. VIVOS. MONVMENTVM. FACIET
IN. QVEIBVS. LOCEIS. HVMATI. ERINT. EI
D. T. QVI. HVMATVS. ERIT. POSTERISQ.
EIVS. MONVMENTVM. FIERI LICEBIT

Locum monumenti, non monumentum ipsum assignat Baebius iis, qui voluissent uti beneficio suo: nam monumentum ipsum per eos extruendum fuerat, quibus loci data potestas. Cavetur in primis, ne cuiusque monumentum pedes X quadratos excederet in sui usum *dumtaxat*, id enim valent initiales D. T., posterorumque eius. Deinde, ut ne locus idem ab alio ante occupatus esset, qui eo humatus erat, quo in casu nullum cuivis in locum eumdem ius est. Voluntas haec Gemelli *extra autoritates sit. Auctoritas* equidem *ius* designat: *extra autoritateis* idcirco, ut recte commentatur Reinesius, idem sonat, ac *sine instrumento contractus, vel donationis: nimirum motu proprio, et voluntate, quae pro iure legitimo haberi debent.* Quae cum ita sint, initiales illae praefixae C. S. P. non ita accipiendae videntur, ut vir doctus facit, nempe *citra*, vel *circa suum Praedium*, sed ita potius: *citra sui praeiudicium.* Nam quod ille ait, sic *Loci* modum, finesque definitos a Baebio, primo parum idoneum videtur, cum initialis C. ex aequo stare possit pro *Circa*, et *Citra*, ut Reinesius exponit, quod tamen certum, determi-

natumque sine ambiguitate ulla esse oportuerat. Deinde et supervacaneum sine dubio est: nam *Loci* modus, finesque luculentissime apparent ex his, quae paullo post, dataque opera, sequuntur: *inter Pontem Sapis, et titulum superiorem, qui est in fine Fundi Fangoniani.*

Sed iure Pontificali cautum erat, ut insepulti abiicerentur, qui laqueo se, aut praecipitatione voluntaria occidissent. Cuius rei causam, quae communis suspendiosorum est cum caeteteris, qui morte praematura praeventi essent, licet ex Tertulliano (1) addiscere, cuius haec sunt verba: *Aiunt* (Physici nempe, quorum fuerat opinio) *immatura morte praeventos eo usque vagari, donec reliquatio compleatur aetatis, quacum pervixissent, si non intempestive obiissent. Proinde extorres Inferum habebantur, quas vi ereptas arbitrantur, Crucis dico, et securis, et gladii, et ferae.* In hanc plane sententiam opportune TRANIO ille Plautinus (2).

---

(1) *Lib. de Anim. Cap.* 56.
(2) *Mostell. Act.* II. *Sc.* 2.

Ego transmarinus hospes sum Diapontius,
Hic habito : haec mihi dedita est habitatio :
Nam me Acheruntem recipere Orcus noluit,
Quia praemature vita careo.

Contra ius itaque Pontificale fecisse Baebius videtur, qui locum sepulturae statuit his, quos lege insepultos abiici constitutum erat. Verum in ea tempora fortasse incidit Baebius, quibus suicidae, legis sive desuetudine, sive cotemptu, in se ipsos impune grassabantur.

II. *Privata* mihi sepulcra sunt, non quae uni dumtaxat recipiendo destinantur, sed pluribus etiam, quorum cum personis inferendis determinatus quoque numerus sit. Tale illud in Sacris literis, unde originum, religionumque universarum fons primus, idemque limpidissimus, quod Abraham Sarae uxori suae Gen.XXII. pecunia comparavit, et quo ipsemet postea Gen. XXV. receptus est. Sepulcrorum autem ejusmodi ubique passim, et sine numero exempla prostant.

Ad *privata* item sepulcra revoco Valeriorum, Fabriciorum, Pobliliorum monumenta, quibus *ius sepulturae cum Statua* publice datum, multoque magis eorum, quibus ius idem decreto

Decurionum concessum. Ecquid enim ad sepulcri ipsius rationem, utrum publica, aut privata impendia, statuatur? Haec tamen, aliaque similia, si placet, *insignia* dicito, sed tamen *privata.* Qua constituta *Sepulcri privati* acceptione, tum deinde, si ita res poscit, subdivide in Sepulcra *Regum*, *Principum*, *Sacerdotum*, *Virorum Inlustrium*, *Magistratuum*, *Honoratorum*, *Militum*, et in alia demum quaevis, quae, ordinis gratia, e re magis esse videantur.

Ni defuncto satis sibi de sepulcro suo cautum, ad heredem, heredesve ea cura lege demandata erat. Nec segnes se eo in officio praestando heredes praestabant, interdum etiam, citra metum legis, sollertiores. Huc pertinere puto titulum ex Schedis Antonii Augustini a Grutero relatum (1), quem si talem stare vis, ut apud eumdem legitur, in eo extricando frustra omnino eris. Ecce illum tibi:

(1) Pag. 306. n. 4.

L. PORCIO . QVIRIN
SATVRNINO
PONTIF. QVAE. PRO. HON
LXX . N . P. VT . AES . ALIEN
REIP . CARTAMITAN . LIB
AMICI. FAC . CVRAVERVNT
L . PORCIVS . SATVRNIN
H. A. L. R.

Ad Cartiniam in Hispania pertinuisse memoratnr, et Quadratarii supinitate lineas interversas arbitror, quas ita ordinandas censeo.

L. Porcio Quirina
Saturnino
Pontifici libere
Amici fac. curaverunt.
Quae pro honore LXX. N. petiverunt,
Ut aes alienum Reip. Cartimitan
L. Porcius Saturninus
Heres Amicis libenter reddidit

Possis et A. L. reddere: *animo lubens*. Quod si τὸ LIB. 5. lin. velis esse *Libertos*, singularias omnes poteris non inepte reddere sic:

Heres Amicis, Libertis reddidit

III. Sepulcrorum *communium* incertus est personarum numerus, certa tamen conditio. Eiusmodi sunt *Corporatorum* sepulcra, tum *sacra*, tum *prophana*. Sacris accenseto Loca *Cultorum Herculis Reatini*, *Herculis Defensoris Interamnatium* in Umbria, et *Herculis Victoris Aquini*, aliaque huic similia. *Prophanorum* illustre (1) specimen apud Gruterum (2).

---

(1) Pag. 315. num. 6. 7. 8.
(2) Pag. 883. num. 15.

CN . CINNA . MAGNO . COS
L . VALERIO . VOLVSO

AD . XIII . K . APRILIS

AD . MONVMENTVM . SOCIORVM

IN . CONVENTV . HABENDO . CV
RATORE

C . PETRONIO . C. F . FAL . VARIA . A
CTVM . EST

ET . ITA . DECREVERVNT . LOCVM . L .
SEMPRONI

Ɔ . L . HILARI . ET . OLLAS . V . DARI
ADSIGNARI

C . PETRONIO . C . F . FAL . VARIAE

OB . PIVM . OFFICIVM . INDVSTRIAM
ERGA. SOCIOS

EIVS. MONVMENTI. ET. SOCIVMQ.
EVM . ADSCIVER

Talis etiam *Locus Sepulturae Gentilium Veteranorum* a Reinesio allatus (1), quem consule, si vacat. Placet enim illud afferre, quod est a *Sub-Praef. Clas. Pr. Sisen.* Senecione in usum Classiariorum Misenatium, *ob poenam*

---

(1) Loc. sup. cit. pag. 553.

contemptae religionis, imperatum in Fundo Aelii Abascanti. Refertur a Capacio (1), et boni succi plenum est, et iuris studiosis multa praeterea suppeditat scitu dignissima:

---

(1) Hist. Neap. Lib 1. pag. 292.

IN. HIS. AEDIFICIIS. ET. LOCIS. PVRIS. ADIACENTIBVS
SIVE. IS. LOCVS. AGER. EST. AELI. RVFINI. MILITIS
CVIVS. SE. POSSESSOREM. ESSE. EX CAVSA. EMPTIONIS
P. AELI. ABASCANTI. PATRIS. SVI. ALFENIO. SENECIONI
SVB. PRAEF. CLASSIS. PR. MIS. PROBAVIT. ET. MERVIT
SENTENTIAM. QVAM IVSSV. EIVSDEM. SENECIONIS
SVB. PRAEF. HVIC. TITVLO. PROSCRIPSIT. SENECIO
C. C. C. DIXIT

C. tergeminum est = *Calumniae cavendae causa*. Additur continuo Senecionis sententia *proscripta*, idest descripta, *de iure* possessionis, quae est eiusmodi:

» Necessariam fuisse inspectionem aedificio- » rum, et loci, de quibus apud me actum est, » re ipsa manifestatur. Cum igitur aedificia lo- » co puro posita deprehenderim, neque ulla » sepulcra superposita, vel coniuncta; apparet, » venditionem eorum IVRE. FACTAM; ideo- » que ad Aelium Rufinum Militem EX CAVSA. » EMPTIONIS pertinere videntur. » Aedeficia igitur, utpote *pura*, rite vendita. Res longe ali- ter se habet de *Loco*, sive *Agro*.

» Loci vero, sive agri, quem adiacentem » aedificiis Aelius Abascantus, Pater Rufini » ab Heredibus Patulcii Diocletis aeque mercatus » est, cum habeat plurima, et dispersis locis » SEPVLCRA, ius per venditionem transferri » ad Emptorem non potuisset. » Erant quippe *religiosi* propter sepulcra in iisdem sparsim condita.

» Cum tamen Pater Rufini, et postea Ru- » finus, quamquam non IVRE. FACTA. EM- » PTIONE., semper in possessionem fuerint,

» NVLLO. IVRE. eum locum vindicare sibi » Patulcii possunt. » Quibus nimirum obstat *ius possessionis*, quod Rufino emptori favet. Quod sequitur, parum nostra refert: eo enim diluitur scrupulus ex liturata scriptura ortus, qui talis est.

» Plane cum in re praesenti inspexerim litu- » ratum AG., et erasum PATVLCII, dicunt, » remanere in stipulatione capita quaedam ex- » primentia haec verba: Aelius Dioc. Pat. Dioc. » F. cum Fratribus, qui nunc hic adsunt, » vendunt P. Aelio Abascanto locum purum, » in quo nulla sepulcra iacta, superposita, ne- » que coniuncta adparent, Lib. Nep. Pronp. » Jam igitur *Ager* nec iure venditus, nec iure emptus, utpote *religiosus*. *Ager*, inquam, non *Aedificia*, quae *pura* habentur, adeoque et rite vendita, et iure empta. Quid tandem ad haec Senecio?

» Ob contemptum tamen religionis, Rufinus, P. Ael. Abas. F. AGRO. PRIVETVR. FIETQVE. PVB. SEPELIENDOR. MILITVM. CLASS. PR. MIL. IN. VSVM. » Haec in Rufinum poena constituta, ob contemptum religionis. Quid nunc Patulciis fiet?

» Heredes vero Patul. Dioc. mulctentur sor-
» te, una cum anatocismo binae centesimae usu-
» rae, propter neglectam religionem sepulcro-
» rum clam dirutor. » *Sortem* intellige *Agri* pretium, cui addita bina centesima usura, ut si Ager venditus fuisset HS. C., a Patulciis solvenda forent HS. CII. Lepide Plauti TRANIO ad DANISTAM:

SORTEM *accipe.* DAN. *Immo* FOENVS.
Id primum volo (1).

At in quorum haec beneficium? Senecionem audi:

» Pauperesq. Milites Class. Pr. Mis. donati
» sint, dum aegrescunt, et moriuntur, ne ae-
» re conlato curentur, sepelianturque. Quam
» sententiam sanctam esse, omnes sciunto. » In horum Classem refer locum pro *Familia Quadrigaria* datum a T. At. Capitone (2).

IV. *Familiaria* sepulcra in unius *Familiae* usum, aut etiam plurium, diversi *nominis* licet, extruebantur; cuius posterioris generis palmare est hoc Gruteri (3) exemplum:

(1) Mostell. Acut. III. Sc. I.

(2) P. 339. n. 5.

(3) Pag. 880. n. 14.

ET . HIC . LOCVS
MACEREOLA . CLVSVS
AD . FAMILIAM
MESSIANAM . ET
CLODIANAM
PERTINET

Caute tamen in his aestimandis procedendum, ne *Hereditarium* pro *Familiari* obrepat, uti in hoc ab eodem Grutero (1) relato:

(1) Pag. 594. n. 2.

D . M.

M . AVRELIVS . AVGG . NN . LIB . EPAPHRODITVS

EXACTOR . OPERVM . DOMINICORVM . ET

LABERIA . FELICITAS . FECERVNT . SIBI . ET . SVIS

ITEMQVE . LIBERTIS . LIBERTABVSQVE . POSTERISQVE

EORVM . HVNC . MONVMENTVM . EXTERNVM . NON . SE

QVETVR . NISI . DE . NOMINE . VTRORVMQVE

H . M . D . M . A

Duplex heic nomen, Aurelium nempe, et Laberium, de *quorum utroque* ne monumentum exeat, cavetur. Sed nodus hic vindice dignus occurrit. Mulieres, quoad usque sub patria sunt potestate, patris familiam sequuntur, nuptae viri: ipsae enim per se familiam non ducunt. Quo pacto igitur cavetur, ne sepulcrum de *nomine Aurelio*, aut *Laberio* exeat, cum una, eademque viri, uxorisque familia habeatur sub viri utique *nomine?* Filii porro paternum, non maternum nomen sequuntur. Libertis sequestris hac in causa aestimanda est opus. Nuptae interdum de domo paterna *servos* sibi addictos asportabant, qui, si contigisset libertate donari, paterno mulieris, non viri, *nomine* donabantur. Hi uxorum erant, et dicebantur SERVI DOTALES, de quibus Plautus (1):

DOTALEM SERVUM Sauream Vxor tua
Adduxit, cui plus in manu sit, quam tibi.

Hi igitur uxoris Liberti *Laberii* erant, non *Aurelii*, qui si de nomine exirent, Sepulcri iure excidebant. De nomine autem exire pote-

(1) Asinar. Act. I. Sc. I.

rant utrorumque tum Aurelii, tum Laberii, Filii, Nataeve, Liberti, aut Libertae, *adoptione*, vel *matrimonio*; quod si contingeret, nullum amplius his in sepulcrum ius reliquum erat. Ne tamen sepulcrum idcirco *Familiare* statuas: *Hereditarium* quippe est, uti ex formula illa liquido adparet: *externum non sequetur*, intellige *heredem*. Laberiae igitur, Aureliique heredes, sive Filii, Filiaeve, sive Liberti, aut Libertae, si de nomine utrorumque exciderint, iure sepulcri privantor.

Quo autem accuratior, penitiorque sepulcrorum huius generis notitia teneatur, deque singulis ad iuris normam, rigoremque ferri iudicium possit, sciendum, *Familiam* aliam vere esse *stricti iuris*, aliam *humanioris*, ut ita dicam, quae latius patet. Familia proprie *Agnatorum* est, eorum videlicet, qui ex eadem domo, ac gente prosati sub unius potestate fuerunt; quod interdum in maioris perspicuitatis gratiam in titulis expressum, ut videre licet in Reinesiano hoc (1):

(1) Pag. 655. n. XII.

D . M
Q . AVRELIVS . ANTIOCHVS
ET . SALVSTIA . TELESPHORA
SE . VIVIS . FECERVNT
RVDEM . A . FVNDAMENTO . CVM . AEDIFICIO
ET . FILIIS . SVIS . Q . Q . AVREL . TELESPHORO
ET . TATIANO . ET . AGNATIS . EORVM
VEL . EX . GENERE . LIBERTIS . LI
BERTABVSQVE . POSTERISQ . EORVM
SI . QVIS . AVTEM . HANC . MEMORIAM
VENDERE . VOLVERIT . VEL . DONARE
SIVE . DE . NOMINE . AVREL . ALIENARE
INFERET . ARCAE . PONTIFICVM . HS . M

Perplacet illud *se vivis*, quod diecularis eruditis sequius aevum olet, qui meminisse poterant Terentiani illius: *praesente nobis*. Et hoc praeterea damnato, illud damnent, necesse est: *a seipsis id fecerunt*, aliudve simile. Ad haec: notandum, duos Aurelios, alterum a matre Telesphorum, Tatianum alterum cognominatum, insignes ambo paterno *Quint* praenomine. Fere tamen Familiaria stricti iuris sepulcra internoscuntur formula illa tritissima: SIBI . ET . SVIS . cui adnexum quam saepissime: *Posterisqe eorum*, sine additamento alio. *Sui* enim propriissime dicuntur Filii, et nati natorum, et qui nascuntur ab his. Formula quoque sepulcri familiaris stricti iuris notanda apud Gruterum (1), quam in fine tituli huius perpende:

DIDIA . T . F . FABIA
MATER . IN . MEO . DOLORE
IN . HOC . SEPVLCHRO
NOMEN . IN . HIS . ADSCRIPSI . MEVM
HIC . EST . DOMVS . MEA
CVM . MEIS

(1) Pag. 680. n. 5.

Summa tamen iuris humanitate in *Familiam* adsciti Liberti quoque, quorum, servitutis excepto nomine, quod in *cognomen* transibat; caetera fere nomina cum Patronis erant communia. Si quando ergo his in Familiaria Dominorum sepulcra ius attribui placitum foret (fiebat autem id quam frequentissime), formulae superius relatae adiiciebatur: LIBERTIS . LIBERTABVSQ . POSTERISQ . EORVM . Quae utrum sola per se ad id iuris assequendum idonea foret, an alio quopiam praeterea adminiculo indigeret, alibi opportunius discutietur. *Familiares* interim formae huius tituli passim obviant. In unius novitatis gratiam unicum libet proferre in Oppidi Marsani agro paucis abhinc annis effossum:

MONVMENTEM . IVLII
MINI . SVORVMQ . ET
LIBB . LIBERTARVMQ .
SVARVM . QVO . INFERRI
NON . LICET . NI . FAMI
LIAE . IVLI . MINI . ADDI
CTI . SVNT . ET . IVLIAE
MINIAE . RATAE . SORORI

Ubi nota, Juliae Sorori nullum in Familiare Fratris sepulcrum patuisse ius, nisi Fratris expressa concessione. Sorores enim de Fratrum Familia non censebantur. Illud item ne inobservatum praetereas: *Quo* INFERRI . *non licet*. INFERRI ait, non *inferre*. Quibus enim ius datum in Sepulcra Familiaria, his quidem licebat eo *inferri*, si vellent, non alios *inferre*, quod persuasum nonnullis, qui merito idcirco a Gutherio vapulant.

Formulae sepulcrorum Familiarium vulgatiores hae sunt: *Ne de nomine exeat. Aliud nomen non sequetur. Ne de nomine alienetur. Ne de nomine exeat Familiae. Ad Familiam pertinet. Ni Familiae addicti sunt. Si in nomine manserint*, vel *permanserint*. Ambiguae hae: *Heredem non sequitur. Ad heredem non pertinet*. Videas enim ex aequo et *familiaribus*, et *privatis* adsculptas monumentis. Sit posterioris huius instar unum hoc e Grutero selectum:

Q . PONTIO . Q . F
CAPITONI
DOMITIA . L.
CLARA . V . F
H . M . H . N . S (1)

---

(1) Pag. 885. n. 5.

Et mihi fere certum, in idem recidere formulam illam singularem, quam ex Apiano recitat idem Gruterus (1): *Diis Manibus do, legoque*, ut *privatum* nempe monumentum iure quovis solvatur, sive *Familiari*, sive *Hereditario*. Titulus sic se habet:

L . CARTORIVS . P . F . FAB
HIC . SEPVLTVS . EST
HIC . LOCVS . PATET . IN . FR . P.
XX . ET . A . MEDIA . FORINS
PRO . P . XXV . HVNC . LOCVM
MONIMENTVM . DIS . MANIBVS
DO . LEGOQ

Ex titulorum itaque contextu diiudicandum, quod perfacile est, in quam sententiam formulae eiusmodi potestatis ancipitis sint trahendae.

V. Vt Familiaria Sepulcra Familias, sic Hereditaria heredem sequebantur, qui aut Familiaris, aut Extraneus etiam esse poterat. Si a iure sepulcri hereditarii heres tantum externus arcendus esset, hac formula uti consueverunt: H . M . E . H . N . S . *Hoc monumentum extraneum heredem non sequitur*. Uni igitur *he-*

(1) Pag. 905. n. 14.

redi familiari, seu *de nomine*, reservabatur. Si utrumque complecti vellent, hanc alteram adhibebant: H. M. H. S. *Hoc monumentum heredem sequitur*. Quae quidem raro occurrit, non ob eam causam, quam Fabrettius confingit, quod otiosa videri poterat, utpote subintellecta. Ecquis enim, hac tacita, de sepulcro intelligere tuto potuisset, *hereditarium*, an secus esset? sed eo potius, quod raro contingeret, ius adeo amplum, indefinitumque, sine ulla exceptione, a Sepulcrorum Dominis, conditoribusque Heredibus permitti. Heredes quippe extranei hereditatem capiebant *sine sacris*, in quam rem notandus Plauti (1) locus egregius:

Sine sacris hereditatem sum aptus effertissimam;

et sensus est: *hereditatem sum adeptus* pinguissimam, *sine sacrorum* onere, quae heredem *de nomine* consequebantur. Atqui haec penitissima ratio est, eaque religionem attinens sine controversia, cur vix, aut raro admodum occurrat formula illa, qua de agitur: *Heredem sequitur*: quod vix contingebat, ut quis sepulcri

(1) Captiv. Act. IV. Sc. I.

sui heredem extraneum institueret, qui in re religiosa, qualia sepulcra sunt, ab omni *sacrorum foenore* solutus esset. Similis huic est formula altera: *Fecit sibi*, *et suis Hered.*

Ad sepulcra hereditaria igitur uni *heredes* vocabantur, etsi tales instituti ex parte minima: ad *Familiaria* ex adverso Familiares omnes, etiamsi exheredati. Qui enim hereditate cadebant, non idcirco de nomine exibant. Excipiuntur nihilominus casus nonnulli, uti ex. gr. crimen impietatis adversus sepulcri auctorem, aut perduellionis in Rempublicam, in quibus *Familiaris* etiam sepulcri iure familiares excludebantur, quorum corpora nimirum omni sepultura prorsus indigna censebantur. Hos, si vacat, aut lubet, consule apud Juris tractatores, qui de his copiose egerunt.

§. III.

Quaenam potestas tribuenda formulae huic sepulcrali notissimae: Libert. Libertabus. Posterisque. eorum. *Explanatur deinde titulus quidam sepulcralis de Museo olim Borgiano in Borbonicum tralatus.*

Formula haec, qua de agere haud perfunctorie propositum est, ita latitudine sua multorum aciem perstrinxit, penitusque exanimavit, ut nulla fere eidem vi, ac potestate relicta, tantum non otiosam omnino, deridiculamque fecerint. Atqui occurrunt enimvero in titulis haud raro formulae eiusmodi, quae legales videri queant, quas nullius ponderis extitisse, aut unius animi gratia, adpictas dicere queas, qualis in exempli specimen haec: H. M. D. M. A. *Huic monumento dolus malus abesto*, cui additi interdum et *Medicus*, et *Jurisconsultus*. Et de lepidarum genere haec lepidissima:

Cresco, *percrepas*.
Gaudeo, *perploras*.
Invede, *morere* (1)

(1) Pag. 928. n. 11.

Verum id asserere de omnibus, nullo facto discrimine, iisque praecipue, quae iura sepulcrorum sanctissima possent turbare, qualis haec nostra profecto, eccui demum serio persuadebitur? Quod si in formula hac SIBI . ET . SVIS . POSTERISQ . EORVM . ius ad sepulcrum familiare, non fictitium, sed legitimum agnoscas; cur non et in iis agnoscas, et fatearis, qui adeo frequenter, continenterque subnectuntur, *Libertis*, *Libertabusque*, *Posterisque eorum*? Anne lege aliqua vetitum sepulcrorum Dominis, quoscunque vellent, inibi inferendos sinere?

Ubinam gentium, inquiunt, ingens adeo monumentum, vastique oris, quod tot, tantosque sinu suo complectatur? Sed panicus omnino terror iste, qualem incutere Larvarum aspectus solet. Primo enim Sepulcrorum huius generis dimensiones haud ita contemnendae, ut iis perspectum, qui in talibus observandis non cursim, aut dormitando, sed diu, ac serio, videntesque versati sunt. Raro deinde sarcophagis, soliisve integra commendabantur cadavera, quorum plerumque, Homero teste, aliisque, ab antiquissimis usque temporibus, ossa, cineres-

que de rogo collecta, vel ustrino, in ollis reponebantur, quae dictae idcirco *Ossuaria*, vel *Cineraria*, et quorum numerum incredibilem cernere oculis est in Veterum Columbariorum formis delineatis. Ad haec: tantane Dominorum in servis suis manumittendis facilitas putanda est, ut eos, nonnisi Libertorum, Libertarumque ingenti agmine perpetuo stipatos, cogitare nesciamus? Quos tamen, si in hoc aliquando exsorbitarint, Lege Fusia Caninia *de servis manumittendis* coercitos novimus. Cui denique in alienum sepulcrum *ius* permittebatur, huic profecto necessitas non imponebatur, ut eodem vel invitus inferretur. *Jure* quippe suo utitur quisque, si vult. Et qui iure hoc in aliorum sive hereditaria, sive familiaria, sive privata monumenta potiebantur, haud infrequenter, his posthabitis, propria sibi, suisque, utcunque placuisset, sepulcra constituebant.

Gravius aliquanto turbat Gutherius (1), auctor sane in hac controversia gravissimus, qui sic pronuntiat: *Liberti vero nec sepeliri, nec alios inferre poterant, nisi heredes extitissent,*

(1) Lib. III. Cap. IX. pag. 464.

quamvis quidem inscripserit : MONVMENTVM . SIBI . LIBERTISQ . SVIS . *fecisse*. Hactenus ille. Et Libertis equidem heredibus institutis patere hereditaria Dominorum sepulcra, nemo Gutherio inficias iverit. At unde Gutherio rescitum, in *hereditaria* Dominorum sepulcra non patuisse aditum Libertis, nisi heredes instituti ante essent, tametsi hereditario monumento Dominus inscripserit, se illud *Libertis*, *Libertabusque suis* fecisse? Nulla profecto cieri Lex potest, qua evinci queat, id iuris vetitum in Sepulcra sua *hereditaria* patronis quorum ex adverso *in forum*, *bustumve aeterna auctoritas* erat. Quae extant equidem monumenta, omne aliud suadere possint, e quibus satis hoc unum Gruteri (1).

INFERRI HOC NON LICET,
NISI QVORVM NOMINA SCRIPTA
SVNT, ET QVIBVS CAVERO,
M. POMPEIO . ITHACO
POMPEAE VRBANAE
ITHACI CONLIBERTAE.

---

(1) Pag. 884. n. 5.

Vt verbo dicam : Mihi omnino persuasum est, ubicunque formula haec occurrit , sive *Hereditarium* sepulcrum sit , sive *Familiare* , verum *Libertis* , *Libertabusque* in sepulcra Dominica concedi ius , nisi eam non otiosam dumtaxat , sed deridiculam etiam velimus.

Titulus nunc est recitandus , quem apud Gruterum (1) quoque invenias, in cuius explanationis gratiam haec operose adeo disputata hactenus sunt.

(1) Pag. 875. n. 2.

C . IVLIVS . HERMAS
LIBERTIS . LIBERTABVSQVE . SVIS
DEDIT . POSTERISQVE . EORVM
ITA . VT . NE . QVIS . EX . HOC . AGRO . AEDIFICIIS
VE . QVIBVS . DONATIONIS . CAVSA . EMAN -
CIPATVM . ERIT . DE . NOMINE . ALIENASSE
VELIT . NISI . IN . PERSONA . FILIORVM
AVT . LIBERTORVM . SVORVM . NE . SIMILI-
POENA . SEPVLCRI . TENEATVR

Una literula l distat hic *Hermas* noster a *C. Iulio* HERMIA, de quo titulus alter item Borgianus a Marinio relatus (1) sic habet :

C. IVLIVS
HERMIAS
ET . FACILIS, O. H. S . S .

Anne in nostro, quod olim Hermias, nunc temporis iniuria factum HERMAS, detrita videlicet parte prominentiore hastae dexterioris literae M? Quod ita dico, quia fortassis uterque hic Iulius unum, idemque fuere ; quod tamen coniecturae limites minime excedere praecipio, cui profecto nihil adversantur tituli prolati. In altero enim non de suo, sed de Familiari Libertorum suorum Monumento agitur : in altero de ipsomet Julii Sepulcro, cui comes additur *Facilis*, conditione, ut manifestum est, *servus*. Atqui haec pars Marmoris historica. *Iuridicam* nunc aggredior longe negotiosiorem, quaeque rem nostram propius attingit.

Continetur haec autem tota integris sex lineis

(1) Marmi Albani.

postremis, quarum verba sic in tironum gratiam γραμματικῶς ordinanda: *Ita ut ex hoc agro, aedificiisve ne quis* (eorum) *quibus donationis causa emancipatum erit, velit alienasse de nomine, nisi in persona Filiorum, aut Libertorum suorum, ne teneatur poena simili sepulcri.*

I. Sepulcrum itaque minime *Hereditarium*, sed *Familiare* omnino a C. Iulio Hermia, non *sibi*, *suisque*, sed Libertis unice suis, Libertabusque cum Posteris eorum constitutum. Liquet id ex adiecta formula: NE. DE. NOMINE. ALIENASSE. VELIT.

II. EX. HOC. AGRO. AEDIFICIISVE. Non de sepulcro agitur, quod *religiosum* per se, atque inviolabile, sed de *agro*, *aedificiisque* sepulcro adnexis, quae sine expressa Julii designatione *pura* mansissent. Sed quoniam mera designatio sine alio satis per se non censebatur ad religionem *adnexis* inducendam, dedita idcirco opera additum in fine: *ne simili poena sepulcri teneatur*. Nuda igitur designatio sine poenae comminatione ad hunc effectum minime idonea putabatur. Efficitur id evidentissime contra Gutherium exemplo uno de ve-

terum Juris consultorum penu deprompto. Iniunxit quidam heredi suo, ne *de nomine* alienaret praedia quaedam sua suburbana cum sepulcro. Heres huic succedit filia unica, quae nupta Filiam item unicam suam heredem instituit. Testatoris haec Neptis, eademque heres, *extraneum* inducit *heredem.* Orta hinc quaestio, utrum *praedia adnexa* ad heredem extraneum pertinerent. Lis adiudicata heredi huic extraneo. Ratio affertur, quod testatoris voluntas *praecepti nudi* limites non praetergrederetur. *Quod enim nullam causam*, NVLLAM . POENAM . *continet*, *quae non committitur*, *nisi scripta sit.* Scevolae hoc responsum allegatur ab ipsomet Gutherio (1). Caeterum poena haec satis *commissa* videbatur simplici illa formula, quam supra tetigimus: *Sepulcro cedant*, qua nimirum intelligebatur, *adnexa* non minus *religiosa*, testatoris voluntate, esse oportere, quam sepulcrum ipsum.

III. QVIBVS . DONATIONIS . CAVSA . EMANCIPATVM . ERIT . Quo constet, *agrum*, et *aedificia* donationis merae titulo Libertis tra-

(1) Lib. III. Cap. VI. pag. 451. et 52.

denda esse, non *mancipationis*, quae venditio est, aut *propria*, aut *imaginaria*. *Propria* rerum erat *nec mancipi*, qualia in solo Italico praedia sive rustica, sive urbana. *Imaginaria* locum habebat in mancipationibus, quae *donationis causa* fiebant, et in quibus, dicis causa, dabatur nummus unus. Ad harum neutram Iuliana haec referenda, quae nec *propria*, nec *imaginaria* venditio est, sed *donatio mera*.

IV. Sed scopulum in fine incidimus, quem non facile cuivis evadere. Quo pacto C. Julius *adnexorum* alienationem ratam habet *in persona Filiorum*, *aut Libertorum suorum*, si de nomine exeant? Liberti enim, Libertorumque sive Filii, sive Liberti, veterum patronorum *nomina* fere omnia prae se ferebant, quibus si *adnexa* contingerent, de nomine utique Patroni minime alienata viderentur. Cui obiectioni haud equidem de nihilo unica patet in iure responsio.

Et viri, et mulieres *exire de nomine* poterant: hae quidem nubendo, quo in ius, familiamque mariti traducebantur; illi per *adoptionem*, qua *in sacra*, *et nomen adoptantis* transferebantur. De Feminis nihil cautum a C. Julio. Viris tantum potestatem facit, ut si quando

de nomine exierint, ius adhuc retineant in sepulcrum, et agrum. Quo se humanitatis magis, quam iuris humani, non sine sui laude, tenacem Julius ostendit. *Ius* autem *dixi*, non *dominium*, cum in *sacra*, ac *religiosa* nullum esse *dominium* queat. Dominium competit ei, qui iure gentium, aut civili, proprietatem rei acquisivit (1); nullumque adeo dominium sine iure aliquo. Conceditur autem ius, vel permittitur lege, aut consuetudine, cum ipsum per se nec in bonis nostris sit, nec extra bona, neque in re sit, neque in corpore.

Et hoc satis, tum ad illorum compescendam imprudentiam, qui nihil admodum esse autumant in re Sepulcrali, quod digitos cogat arrodere; tum ad illorum multo magis audaciam ignorantissimam retundendam, qui nihil, aut longe alia professi, haec tamquam otiosa, atque inutilia traducunt. Stulti quippe, quae ignorant, blasphemant. Quid haec, clamant, ad nos? Atqui non ita de aliis persuasum est iis, qui vere sapiunt, quorum numerus exiguus. Quod si haec nihil ad te, tu itaque mercaturam facito. Si

(1) *L. In rem. D. de re vendit.*

profiteris aliud, nemo invidet, laudant omnes. Spartam ergo, quam nactus es, strenue colito, alienae desinito oblatrare:

Ni taceas, cave, ne quis saxit,
. . . muli, qui pretio superant asinos,
Sint viliores Gallicis canteriis (2).

---

(1) Plaut. Aulul. Act. III. Sc. 15.

Err.				Cor.
Pag. 17.	v. 15.	irgenioque		ingenioque
18.	nota 2.	XVII.		XXVII.
22.	v. 9.	cotemptu		contemptu
26	v. 21.	*Sisen*		*Misen*
33.	v. 13.	opns		opus
36.	v. 8	*Quiud*		*Quindi*